Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1403
Quelle:
Copyright:

16. c. scripta videlicet ista: Gloria domini apparuit in nube. &c. Praecedente multo brevior.

VI. *fol.* 95. Ipsa *Jacobi* Interpretatio, cujus ingressus: *Quatuor sunt minima terre et ipsa sunt sapienciora sapientibus. Prov. XXX. Septem epistole que canonice id est, regulares nuncupantur edite sunt a quatuor apostolis* &c. et finis: *et sic ab eo recipietur in gloria, cuius participes nos efficiat dominus* &c.

DCXXIII.

U. 224 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 326. 4. paene totus manu illius exaratus est, quem Titulus praefert: *Tractatus contra bohemos Magistri thome ebendorfer de hastpach arcium et sacre pagine professoris et plebani in Perichtolstarff et canonici ad sanctum Stephanum in Wyenna.* Additur: legatum ab eo fuisse testamento *ad collegium beate M. virginis domus rubee Rose apud fratres predicatores Wien.* Comparet vero I. *Posicio Boemorum per M. Johannem de Rokiczana* 1433. III. *post Epiphaniam.* Nempe *Basileae* in Concilio. Init: *Cum super omnia desideramus honorem dei* &c. et extat T. IV. *Supplem. Mansii* ad *Collect. Concill. col* 443. Margini *Haselbachius* adscripsit: *Caue et vide caute.*

Fol. 20. p. 2. Tractatus *Thomae Haselbachii* minio inscriptus: *In Concilio Basilien. in vacacionibus pasce* 1434. et ad calcem: *Finitur Reprobacio questionis contra Rokisana et Boemos de vtraque specie ewkaristie scisma in ecclesia constituentes et se pertinaciter in fide ab ea separantes. In die parasceues Basilee in Concilio* 1434. Initium est: *Professio me incitat et zelus fidei et domus dei perurget aduersus hec impia dogmata Boemorum vibrare clipeum ex testimonijs in eternum fundatis glutinatum succinctius fundando contrarium et motiua dissoluendo, que coram sanctissimo cetu huius sacri Concilij quidam Boemorum nomine non erubuit deducere in medium tanquam ipse solus norit abscondita misteriorum et fidei patefacere archana. — Quamvis ergo in hac re quondam contra Jacobellum — tractatum quendam legendo in scolis ediderim, in quo diffusius processi per plura capitula, tamen — manipulos colligere decreui post terga metentium* &c. *Haselbachium* ab Academia *Vien.* cujus Orator erat, jussum fuisse a. 1433. se Communioni sub utraque obponere, habemus in ejus Vita P. I. *Scriptt. Univ.* p. 150. Mirum tamen videatur, *Rokiczanam* integro post anno ab eo refutari, nisi sit error in anno, quod admittere difficile est, cum annus 1434. bis memoretur. Theologum cetera praestantem, et in Patrum lectione versatum confirmat haec Tractatio, quam, ut et illam contra *Jacobellum*, a nemine hactenus indicatam novi. Ceterum per errorem Compactoris inserta est illi a *fol.* 55—58. alia, quam igitur seorsim adfero.

Fol.